



Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

V. Vtrùm in statu innocentiae homines generarentur perfecti quoad
corpora, vel quomodo consummatam illorum perfectionem
consequerentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

cturum, si sub conditione saltem præciseret Adamum in illa occasione, si in ea constitueretur, non fuisse peccatum. An vero præter hos Deus plures elegisset, si hoc etiam modo præciseret Adam non fuisse peccatum, omnino est nobis occultum. An autem durante dicto statu aliqui essent damnandi, & præciti, infra dicemus: nam pendet ex alia questione cap. 9. tractanda, an homines in eo statu possent peccare: supponendo autem aliquos fuisse damnandos, numerus eorum ignotus nobis est, & ideo omnis comparatio, vel ad numerum electorum, vel ad numerum eorum, qui nunc dampnantur, incerta est: & propterea nihil amplius de illa dicere necesse est.

CAPVT V.

Virum in statu innocentie homines generarentur perfecti quoad corpora, vel quomodo consummatam illorum perfectionem consequerentur.

Humani
corpora per-
fectio duplex.

De prior
perfectione
certa resolu-
tio.

Idem resolu-
it August.

Prima asser-
tio prædicta
perfectionis non
fuisse æqua-
lem intra æ-
dem speciem.
Probat ex
D. Th.

Diximus de propagatione generis humani quo modo, & quanta futura esset in statu innocentie, si duraret: nunc explicandum superest, qualis esset futura quoad proles perfectionem, quam ex parte corporis prius considerabimus: postea verò ex parte animæ. Duplex autem perfectio in humano corpore consideratur. Vna dici potest simpliciter, & absolute necessaria ad veritatem, & integritatem corporis humani ex vi talis specificæ naturæ, numerum sensuum externorum, & internorum, & potentiæ omnium, ac facultatum naturalium, quæ ad indiuidui, & speciei conseruationem necessaria sunt: alia est perfectio necessaria ad statum integrum, & consummatum corporis humani. De priori nulla est in præsentia dubitatio: nam certum est in statu innocentie fuisse prolem generandam cum corpore omnibus suis partibus, ac membris constante iuxta exigentiam sexus, in quo vnusquisque generaretur. Itemque cum omnibus facultatibus, ac sensibus internis, & externis, & cum debita membrorum proportionem, dispositionem, colorem, figuram, ac pulchritudinem corporali, quæ inde confugit. Ita docet D. Th. 1. p. q. 96. art. 3. & quæst. 99. art. 1. ad 1. & alij Theologi statim citandi.

Et ad minimum hoc docuit August. lib. 1. de Peccat. merit. & remis. cap. 37. & 38. vbi ait, nullam pœnalem imperfectionem fuisse futuram in hominibus, qui in statu innocentie generarentur. Carētia enim illius integritatis esset imperfectio, seu defectus pœnalis, qualis est agritudo, cæcitas, & membrorum corpori connaturalium diminutio, huiusmodi enim defectus cum naturales non sint, pœnales sunt: nō ergo essent in genere humano peccato non interueniente. Et inde faciliē cetera, quæ diximus, consequuntur. Quia non minus pertinet ad naturalem perfectionem corporis humani debitus ordo, proportio, & figura membrorum, quam eorum integritas sine diminutione. Et similiter ad corporis sanitatem necessaria est bona dispositio, & proportio humorum. Et inde nascitur conueniens color, & consequenter pulchritudo, quæ inde resultat. Ergo ista omnia essent in hominibus durante innocentia, à principio natiuitatis eorum.

Potest autem circa hoc interrogari, an hæc omnia essent æqualia in hominibus illius status. Responderet autem negatiuē D. Thomas in d. art. 3. q. 96. Quia non omnes causæ concurrentes ad productionem hominum essent eadem, neque æqualis virtutis in generationibus singulorum. Nam in efficientibus causis esset varietas ex parte

influentiæ cælorum, & elementorum circumstantiarum, & ex parte causarum materialium, diuersitas ciborum, & humorum ipsorum parentum interueniret. Confirmatur, ac declaratur, quia hæc inæqualitas raro est pœnalis defectus: tum quia potest esse inter duo indiuidua, etiam si in neutro illorum sit aliquis defectus contra specificam, vel indiuidualem perfectionem vnique debitam: tum etiam, quia talis varietas, & inæqualitas naturaliter sequitur ex compositione corporis organici. Quia cōueniens eius dispositio, & proportio non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem. Et inde est, vt naturaliter non omnes homines sint eiusdem figuræ, nec eiusdem stature. Idē ergo in statu innocentie inueniretur. Tandem declaratur, quia primi parentes non generarent filios sibi omnino similes in complexione, quia hæc ex parte materiæ & aliarum causarum variatur. Item quia ipsi parentes, vir, scilicet, & vxor non essent in complexione omnino similes. Et vterque quantum in se est, prolem sibi similem efficere conaretur, vnde filius esset similior illi parenti, qui efficaciorē haberet virtutem in tali occasione, & tempore: vel qui magis à circumstante medio, & à materia, & ab alijs causis iuuaretur: ac proinde proles neutri esset omnino similis propter alterius resistentiam: ergo paulatim per varias generationes, dispositiones, & complexionem filiorum variari, & diminui possent. Et consequenter in alijs perfectionibus corporum posset esse inæqualitas: nimirum in statura, in colore, in pulchritudine, in efficacia sensuum, & aliarum facultatum naturalium. Tota autem illa varietas esset intra latitudinem perfectionis naturalis ad conuenientem habitudinem humani corporis sufficientem.

Atque hinc dicimus secundò aliquam varietatem, & perfectionis inæqualitatem multo magis in eadem persona pro diuersis temporibus, seu ætatibus in illo statu inueniri potuisse, ac debuisse, quauis in singulis ætatibus, & temporibus omnes homines integram perfectionem vnique in tali tempore, vel ætate accommodatam haberent. Probat prior pars, quia illa varietas est naturalis homini naturali modo genito, nutrito, & educato: sed homines tunc naturali modo generarentur, vt supra ostensum est, & naturali etiam modo nutrentur. nam indigerent cibo, & potu: ergo etiam haberent illam varietatem dispositionum, ac ætatum: quia hæc ex natura rei consequitur ad naturalem generationem, & nutritionem. Vnde carere illa, vel esset monstruosum contra rationem, & decenciam illius status, vel esset miraculosum, aut supernaturale: quod, & superfluum esset, & gratis assereretur, cum reuelatum non sit, vel scriptum, aut traditum. Altera verò pars de perfectione accommodata singulis temporibus, & ætatibus, quasi per se nota est ex prioris assertionem, & ex cōditione illius status, in quo omnia pertinentia ad perfectionem hominis naturalem futura erant integra, & ordinatissima. Nam cum hæc perfectio naturalis non sit vna, & eadem pro toto tempore vitæ, nec conueniat specificæ naturæ secundum se, sed vt in tali, vel tali indiuiduo existenti, necesse est, vt saltē ea perfectio, quæ singulis temporibus esset accommodata, in illo statu non deesset.

Ex quo inferimus primò cum D. Thoma dicta 1. c. quæst. 99. art. 1. homines in statu innocentie non fuisse generandos cum integra statura, & quantitate corporis, ac membrorum eius, quā nunc per continuam nutritionem vsque ad statum augmenti acquirunt, sed in ea paruitate corporis, & membrorum, quæ infantie eiusque initio accommodata est. Et quia in ea potest esse magis, & minus in vnoquoque indiuiduo esset in quantitate, singulo-

gulum complexioni; & individuali perfectioni proportionata. Vtrumque est facile, & receptum ab omnibus. Primum quidem, tum quia illud est homini naturale, tum etiam, quia non posset, uterque maternus capere corpus magnae quantitatis: nisi vel talis corporis membra inter se penetrarentur, ut in angusto ventre simul esse possent, vel totum corpus filij cum corpore matris coextenderetur & penetraretur. Itē alias non posset proles naturaliter nutriri in vtre matris, ut per se notū est. Fin- gere autem extraordinaria miracula, vel superna- turalia opera semper futura in illo statu sine fun- damento auctoritatis ubi ratio deest, improba- bile est, ac temeritate non vocat. Secundum etiam de perfectione illius status notum est.

Secundo sequitur ex dictis infantes recēs con- ceptos, vel natos in illo statu non fuisse habituros robur, & vires membrorum, quas in virili aetate habere solent. Unde nec statim ambulare possent, nec loqui, nec alios similes motus habere, sed tan- tum illos, qui illi aetati conveniunt, ut lac sugere, linguam, pedem, vel manum aliquo modo moue- re. Ita docet D. Th. supra, & sequitur ex eodē fun- damento. Quia sicut haberēt membra infantilia, & parua in quantitate: ita etiam haberent illa eis qualitatibus disposita, quae illi aetati responderēt, suntque illi cōnaturales. Ex his autem dispositio- nibus sequitur membrorum debilitas, & defectus virium ad praedictas actiones: ergo non possent infantes illas habere sine supernaturali virtute, & miraculo, quod, ut saepe dixi, sine sufficienti au- thoritate asserendum non est.

Contra haec verō obijci potest Aug. l. 1. de pec- cator. mer. & rem. c. 37. ubi sic ait, *Quamquam etiam ipsa tanta carnis infirmitas (ut qui infancium) nescio quid quantum arbitror poenale demonstrat. Quae verba possent utcumque exponi de infirmitate carnis, nec quoad corporum debilitatē, aut paruitatem, sed quoad dolores, aggritudines, gemitus, & alia inōmmoda, quae paruuli etiam patiuntur. At vero huic expo- sitioni obstat verba, quae statim idē Pater subiun- git. Monet enim: si primi illi homines non peccassent, vtrum tales essent filios habituri, qui ne lingua, nec manib. nec pedibus uterentur. Nam propter vteri capacitatem foras nec- cessiter paruulos nasci, quantum cum exigua hi pars corpo- ris cōstitit, non tamen propter ea Deus paruulum viro coniū- gē suū, quam edificauit in mulierem, vnde & eius filios, pote- rat omnipotentia creatoris morē dīctos, grandes totius fa- cile. Et in c. 38. id prosequitur, indicans, quod licet filij in vteris matris essent paruuli propter vteri ca- pacitatē, statim ac nāscerentur, essent vel corpore perfecti, vel salte apti ad motū corporis exercēdos.*

Nilominus D. Th. sup. ad 1. respondet, Augu- stinum solum loqui de illa infirmitate corporum, quae nunc in pueris apparet, etiā quoad actus eorū pueritiae conuenientes. Sed consideratis omnibus verbis, quae retulimus, negare non possumus, quin etiam de naturali debilitate, & paruitate infanti- lium corporū loquatur, ut etiam ex dicendis ma- gis constabit. Veruntamen non loquitur Augu- stinus de hinc, sed inquirendo, & rem indecisam relinquit. Resolutio autem tradita sine dubio ve- ra est. Neque exemplum de formatione Eue est simi- le. Tum quia Eva non ab homine, sed à Deo solo fuit formata: tum etiam, quia nō naturali modo, sed valde extraordinario, & singulari creata fuit: tum denique, quia non expediebat in parua, & in- fantili aetate illam creari, quia nec habebat matrē, a qua posset conuenienter alii, & educari: nec ad v- sum generationis per multum temporis apta fu- isset. De potentia itē Dei non dubitamus, quin paruulis recenter natis potuerit integram corpo- rum perfectionem, & quantitatem subito confer- re: veruntamen eandem etiam potuisset Deus in momento conceptionis, & in vtero matris tri-

buere. Sicut autem tunc nō fecisset hoc posterius, ita nec prius, nam vnum est ad aliud consequens. Quia sicut conceptio esset naturalis, ita & natiui- tas, & augmentatio. Item quia ex diuina reuelatione, aliāve auctoritate, vel ratione nōn magis miraculum illud, seu supernaturale opus in nati- uitate, quā in conceptione probare possumus.

Sed obijci potest, quia in statu innocentie non haberet locum senectus: ergo nec pueritia. Facile autem responderetur, negando consequentiā, quia per senectutem tenditur ad mortē, imō est quod- dam initium corruptionis: mors autem, & corruptio in illo statu locum non habent. At pueritia est vitae initium, & ab illa paulatim ad consum- matam perfectionem tenditur modo naturali. Et ideo pueritia tanquam perfectionis initium illi statui non repugnabat: secus verō est de senectute, quae initium est mortis.

Tandem instari potest ex eodē Augustino: quia sequitur nascituros fuisse homines in statu inno- centie & per plures annos fuisse victuros sine vsu rationis, sicut nunc pueri sunt. Cōsequens autem non videtur admittendum: ergo. Sequela probat- ur quia in statu innocentie homines intelligerēt, & uterentur ratione cum deperdentia à phantaf- matibus, hinc autem prouenit, ut careant homi- nes in pueritia vsu rationis, quia tunc organa sen- suum non sunt disposita, ut rationi deferuire pos- sint: ergo idem impedimentum haberent in statu innocentie, si in pueritia similem dispositionem corporum haberent. Minor autem probatur ex Augustino d. 1. de pec. merit. & remiss. c. 36. ubi te- rebas mentis rationalis, & ignorantiam Dei, quae in paruulis cernuntur, sentit esse quid poenale, & ex peccato primi parentis originem ducere. Nam vnde (inquit) anima hominū anima rationalis non solum indocita, sed etiam indocita iacet, quare, aut quando, aut vnde intrusa est, si natura est hominū sic incipere, & non iam vitiosa est ista natura. Et ad hoc confirmandum addit: Cur non talis creatus est adam: cur ille capax pra- cepti? Et in fine capituli concludit. Hoc tam magnum ignorantia, ac infirmitas malum, si in hac vitam nati paruuli contraxerunt, ubi, quando, quomodo sine magna aliqua impietate commissi repente tantis tenebris involuti sunt: Et in c. 37. in principio supponere videtur, haec non esse pure naturā, sed vitiosā primordiam. Et paulo post declarat, non agere de corporis quantitate, sed de mentis quadam valentia, vsuque rationis, id est, de il- lius carentia, & idem indicat li. 4. contra Iulian. c. ultimo.

Nilominus ad obiectionem respondeo, coh- cedendo sequelam: nimirum, in statu innocentie carituros fuisse paruulos vsu rationis non tantū in vteris matris, sed etiam post natiuitatem pro tempore infantiae, vsque ad tēpus prouectae aeta- tis, in qua phantasia posset conuenienter intelle- ctui ad ratiocinandum deferuire. Hae est senten- tia D. Thomae 1. p. q. 101. a. 2. & Hugonis de S. Vi- ct. lib. 1. de sacram. p. 6. c. 26. & in eam magis inclinat Magist. in 2. dist. 20. ubi etiam Bonau. in dub. 6. li- terali. & Durand. q. 4. ad 1. & alij. Et ratio est, quia defectus vsus rationis in infantia non est poenalis, sed naturalis, quia naturaliter sequitur ex dispo- sitione connaturali organorum phantasiae, quam status pueritiae postulat, scilicet, ex nimia humiditate cerebri, ut D. Thomas dicit. Vfus autem ra- tionis etiam in statu innocentie, à recto vsu phan- tasiae penderet, ut in superioribus dictum est. Nec possumus cum fundamento, diuino miraculo, aut supernaturali operi aliud attribuere, quia nobis hoc reuelatum nō est: & alioqui ad perfectionem illius status non est necessarium.

Ad Augustinum ergo communiter responde- tur, ipsum loqui non de simplici carentia vsus ra- tionis, sed ut habet adiunctas multas imperfectio- nes, minorem.

9. Altera ob- iectio eius- que solutio.

10. Ultima ob- iectio ex au- gustini dictis.

11. Responso ad obiectionem propositam maiorem.

Lib. 3. c. 3.

12. Responso ad propositio- nes, minorem.

iuxta D.
Thomam.

nes, quas in statu innocentie non haberet. Nunc enim non solum carent pueri usu rationis, sed etiam patiuntur inordinatos motus phantasie, quibus interdum turbantur, & tristantur, unde fleus, dolores, motusque iracundie, & alij similes oriuntur: quibus omnibus imperfectionibus in statu innocentie carerent. Et ideo dixit Diuus Thomas d. q. 101. art. 2. ad 1. quod licet paruuli in illo statu non haberent rationis usum: nihilominus in ipsamet puerili cognitione maiorem perfectionem haberent, utique per originalem iustitiam, ut c. sequenti explicabimus. Atque hæc quidem doctrina vera est: an verò illam in dictis locis Augustinus intenderit, valde dubito. Crediderim tamen illum non asserendo, sed disputando processisse, ut de perfectione corporum dixi.

Expediatur
responsio.

13

Respondetur
tamen ra-
tionibus ab
Augustino
indicatis in
favorem
predictæ
propositionis
minori.

Necessarium tamen est rationibus dubitandi, quas Aug. indicat, satisfacere. Vna est, quia mentis tenebræ, & ignorantia sunt pœna peccati: nulla autem videtur esse maior ignorantia, vel mentis cæcitas, quam carentia usus rationis. Recte autem respondet Magist. Diuus Thomas, & omnes, propriam ignorantiam esse peccati pœnam, non autem omnem carentiam cognitionis, vel quam appellant nescientiam, esse pœnam, sed esse posse conditionem naturæ, etiam bene institutæ. Propria enim ignorantia dicit carentiam scientiæ, quam quis possit, & deberet habere: hoc autem modo carentia usus rationis in pueritia, non est ignorantia, sed pura nescientia: & ideo esse posset in statu innocentie sine peccato. Et ob eandem rationem non potest ille naturalis defectus, cæcitas mentis, aut tenebræ appellari: quia hæ voces etiam significant priuationem, & in malam partem ordinari sumuntur pro carentia spiritalis, seu intellectualis luminis aliquo modo voluntaria, & ex peccato proveniente. Ad confirmationem autem, quam D. Augustinus ab exemplo Adami sumit, recte etiam respondet Diuus Thomas non esse similem rationem. Quia Adam ab ipso Deo immediate creatus est, cuius opera sunt perfecta, & creatus est in adulta ætate, in qua non solum erat capax usus rationis, sed etiam erat illi debitus, fuissetque propriissima, imò monitrosa ignorantia, si tali usu careret. Ac denique constitutus est in principem, & caput totius naturæ: & ideo non solum cum usu rationis, sed etiam cum perfectâ sapientia creatus est, ut supra vidimus. Hæ autem rationes omnes in filiis eius locum non habent, ut est per se notum.

CAPVT VI.

Quibus rebus ad vitam conseruandam homines in statu innocentie vterentur.

Diximus de perfectione corporali proles in statu innocentie generandæ: & ideo priusquam de spiritali dicamus, opportunum videtur, reliqua, quæ ad corporalem vitam pertinent, expedire, quæ duo sunt præcipua: vnum est, conseruatio vitæ: aliud est status, seu modus transigendi vitæ. Circa primum, præcipuum dubium est, an homines in statu innocentie carnibus vescerentur. Quibus enim, scilicet, victu, & vestitu, in hac mortali vita indigemus, iuxta illud Pauli 1. Tim. 6. Habentes vestitum non esuramus, & quibus regamur, his conuenti sumus: in statu autem innocentie non indigerent homines vestimentis, quia iustitia originali sufficienter tegebatur, ut in superioribus dictum est, indigerent autem alimentis, quia licet haberent corpora suo modo immortalia per extrinseca adiumenta: nihilominus haberent corpora animalia, quæ naturali ordine, ac modo generari, nutriri, crescere, & conseruari deberent, quod sine alimentis non fit.

Vestitum non
esset opus in
statu inno-
centie.

Ideoque explicandum superest, qualibus cibis v-

furi essent homines in illo statu. In quovterius di-

stinguendum est inter infantes, & adultos. Et de infantibus statuendum est, usque ad certum ætatis, in qua solidiora corporis membra haberent, alendos, ac sustentandos fuisse lacte matris, sicut nunc nutriuntur. Hic enim modus alimenti naturalis est infantibus paruulis, quibus lacte opus est, non solido cibo. Ergo idem modus in illo statu seruaretur. Ex regula sæpe repetita, quod naturæ ordo seruandus in illo statu esset in his, quæ nec pœnalia sunt, nec priuatiui imperfectionem in tali natura, & persona, ac tempore includunt: nec supernaturaliter immutanda fuisse reuelatum est: talis autem est, ille nutriendi modus.

De adultis etiam certum est, fructus arborum, & seminum terre futurum fuisse communem cibum illius status. Hoc enim præcipue nobis reuelatum est Gen. 1. 11. illis verbis, Eec dedi vobis omni herbam afferentem semen super terram, & vinum saligna, quæ habent in semetipsis seminem generis sui, ut sint vobis in escam. Quæ verba dicta sunt hominibus ante peccatum, unde maxime pro statu innocentie dicta sunt. Et cap. 3. dixit Deus Adæ, De omni ligno paradisi comedere, exceptitque solum lignum scientiæ boni, & mali. Ergo tantum superest dubium, an etiam carnibus tunc vterentur. Et consequenter potest inquiri, an vterentur pane, siue triticeo, siue alterius speciei, seu graui proprie sumptus, id est, artificiosè confectis, & coctis, sicut nunc illo vitmur. Et eadem ferè interrogatio est de usu vini ex quacunque materia expressi. Sed hæc accessoria sunt, & obiter definiuntur: nam etiam ab authoribus non disputantur, sed per occasionem attinguntur, ac breuiter definiuntur.

Circa principalem ergo questionem de usu carnis D. Thom. 1. p. q. 96. art. 1. ad 3. solum docet, homines in statu innocentie non indignum animalibus ad cibum: quia fructibus lignorum paradisi sufficienter alerentur. Inde verò omnes colligunt, non fuisse futurum carnium usum in illo statu. Estque hæc sententia communis antiquorum Patrum, Basilij, Bedæ, & aliorum in Gen. 1. 11. Nicen. in quaest. sac. q. 24. ex Nemeside natura hom. cap. 1. Abulen. in c. 13. Gen. q. 228. aliorumque Theologorum sine contradictione. Sumptaque est ex verbis Gen. cap. 1. & 2. supra citatis: quibus Gen. Deus hominibus concessit herbas terræ, & fructus arborum in cibum. Nam tacendo de carnibus, illas excludere videtur. Accedit, quod Gen. 9. specialiter concessit Deus hominibus carnes in cibum, dicens, Omne quod mouetur, & vinit, erit vobis in cibum. Vbi in speciali concessione significat, antea non fuisse id hominibus concessum. Et magis explicatur, cum additur, Quasi olera viriditas dedi vobis omnia. Ac si diceret Deus, hæc tenus sola olera viridia vobis concesseram, nunc animalia etiam vobis in cibum præbeo. Si ergo usque ad illud tempus non est data facultas hominibus edendi carnes, multo minus concessa fuit Adæ & Euz in innocentie statu: ergo nec eorum posteris licuisset in illo statu, si duraret.

Contra hanc verò communem sententiam tria obijci possunt. Primum est, quia ex concessione positiua facta hominibus in principio creationis, Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. vel, Ex omni ligno paradisi comedite: non recte inferitur exclusiua, Scilicet, tantum ex herbis, vel fructibus arborum comedite. Tum quia illatio non est formalis, ut per se constat, nec ratione materiæ dici potest virtualis, quia potuit Deus ob aliquam rationem specialem illos cibos exprimere, etiam si alios non prohiberet, nempe, ut indicaret, eas res, quæ & facillimè obtineri possent, & ad sustentandam naturam essent sufficientissimæ; etiam si alia non decissent, neque essent pro-